



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE PARTES NOSTRAS IN CAZAKISTANIA NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Partes Nostras supremi catholicae Ecclesiae Pastoris esse iudicamus cunctis fidelibus opportuna commodare praesidia, et omnibus bonae voluntatis hominibus ubique terrarum officia Nostra praestare, ut nationes variae spiritalem humanumque progressum quam uberrimum adipiscantur. Nunc autem nominatim de Cazakistania cogitamus, quandoquidem recto ex consilio inter huius Civitatis Gubernium Civile et Apostolicam Sedem publica officiorum vincula inita sunt. Quapropter sententiam excipientes Congregationis pro Episcopis, quae in Natione cuius supra mentio est facta Nuntiatura Apostolica ut conderetur proposuit, Nostra de Apostolica auctoritate, in Cazakistania Nuntiaturam Apostolicam constituimus atque tribuimus pariter iura, privilegia, honores et praerogativas, quae [iuris codex ad normam canonum 362-367](#) confert, praeter pacta conventa cum Civili Gubernio, quod supra memoravimus. Decernimus exinde ut Nuntiaturae sedes in urbe locetur, quae Alma Ata populari sermone appellatur. Quae tandem hasce per Litteras Nostras statuimus firma prorsus Sint nunc et in futurum tempus, suamque habeant vim, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Octobris, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO *Secretarius Status* © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
